

vis e regione sua ferrum sibi adscivit, sicque ferrum ingens quasi dubitans in aere remansit. Vidi in eadem urbe ingenti et precioso marmore Iovem scutulam auream duorum pedum latitudinis tenentem, ubi hoc inerat scriptum: 'Iovi vindici Trevirorum, ex censu civitatum Rheni per tria decennia denegato, sed fulmine et terrore celesti extorto', factum arte mechanica. Nam thus quasi prunis inpositum redolet, si immiseris^a, nec tamen deficit. Quod ita probavi esse.

II^h. Postquam igitur primos possessores seu fundatores Novientensis insule demonstravimus vel etiam, a quibus denuo^b secunda vice sit restaurata, scripto mandavimus, nunc restat, ut a quibus^b vel quo tempore ad monasterialis seu cenobialis vite ordinem, ut actenus Deo largiente cernitur, transierit, indagare curemus. Temporibus siquidem Diocletiani et Maximiani imperatorum, cum dominus noster Iesus Christus aream suam, sanctam videlicet ecclesiam, purgaturus ventilabrum examinationis vel correptionis in manibus ferret ac membra sua in sanctis martiribus ad se transferre decrevisset, officinam ipsius scrutinii quatuor membris diaboli, Diocletiano scilicet et Maximiano imperatoribus et Attila regi Ungarorum et Amelungo^c regi Chunorum permissit Imperatores in Urbe^d et in omni imperio Christianos persequuntur et opprimunt. At vero Attila^e congregata innumera multitudo sicut arena maris, Avarorum videlicet et Chunorum seu Bauuariorum^f, Tracum et Danorum, Selavorum, Polanorum^g et Boemiorum, quos omnes superatos Romano imperio extorres fecerat, cum his omnibus Aquilegiam metropolim Charenti obsedit. Cumque cives de evasione diffiderent, cum auro et argento aliisque preciosissimis opibus clam per paludes civitati contiguas fugientes, ossa etiam sancti Marci evangeliste secum ferentes, insulam quandam maris ingressi civitatem inibi construxerunt, ipsam^h Venetiam, id est Venustam, vocaverunt. Attila vero destructa Aquilegia ad Renum comitatum dirigit transitoque eo pagum Alsatiensem et omnem Germaniam et Galliam depopulatus est. Ad cuius adventum qui in predicta insula Noviento commanebant relictis omnibus fugierunt et desolatum locum reliquerunt. Cumque Dominus flagellum suum a sancta ecclesia remove decrevisset, senatus et populus Romanus

a) P; 'summiseris' B. b) 'denuo — a quibus' fehlt in P.
 c) 'Amelungo' B. d) 'urbe Romana' P. e) 'Attila vero' P. f) Bauu-
 riorum' B; 'Bavarorum' P. g) 'Palanorum' PB. h) 'ipsamque' P.